
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani

Henrici Nicolai

1. Oratio de Proterva quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

Miscellaneorum

DECADIS III.

EXERCITATIO I.

De

NATURA

ET CONSTITUTIONE ETHICES

Seu Philosophiæ moralis.

Practico-Philosophica

Pro disputationis exercitio ad collationem sententiarum proposita

In Gymnasio Gedanensi

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI

Phil: Professore Publico

Respondentis partes expediente

JOACHIMO BOYE

Regiomontano Borusso.

Ad diem 29. Julij. S. N.

In Acroaterio Philosophico

Horis ab 7. matutinis.

GEDANI. Typographo GEORGIO RHETIO exscripta. ANNO 1637.

Miscellaneorum
Decadis III Exercitatio I.

De naturâ & constitutione Ethices.

I.

ARistonem *quendam* Chium *Historici memorant Dialecticorum argutias similes esse telis aranearum dixisse, quòd plurimum haberent subtilitatis, utilitatis minimum: Et cum cæteris è Cynicâ sectâ Logicen ac Physicen â Philosophiâ submovendam æstimasse, solam Ethicen diligenter excolendam, narrante* Erasmo in 8. apop. §. 48. *Quam eandem sententiam secutus est* Socrates, *Philosophiam inde è cælo in terram deduxisse, & in urbibus domibusq; collocauisse dictus, quòd abrogato meteorologico illo disceptandi genere morale atq; Ethicum introduxerit,* ap. Xenophontem lib. d. dict. Socratis, *In quo non verbis, sed factis disceptandum veniat, & pro optimo censeatur* qui verba vertat in opera, & scientiæ sale expurget conscientiam. *Secus acturos aptissima* Diogenis *stringat comparatio, quâ eos, qui de virtute loquerentur, nec rectè viverent,* citharæ similes *dicebat, quæ sono prodesset aliis, ipsa nec audiret, nec sentiret quidquam, notante* Eodem in 3. apoph. §. 79. Nobis, *posteaquam ex theoreticâ Philosophiâ materiæ per præcedentes exercitationes sunt dicussæ, visum fuit factu nec inconveniens, nec inutile, si & ad Practicam deflectentes ex illâ disceptandi argumenta*

 de-

depromeremus. Rogantibus cumprimis id moralis Philosophiæ cultoribus Gymnasii nostri, quorum usibus dudum, quidquid in nobis est, non illubentes destinavimus: & memores promissi, *quod de practicis decurrendis* dec. 2. d. 1. t. 1. *injecimus. Ergò* hac decade & moralis philosophiæ dictata *delibemus, atquè universam Ethicam disciplinam per decadem præsentem* cum DEO *decurramus.*

2. *Classicè atq; usitatè* Philosophia in Theoreticam, & practicam, *contemplativam & activam dividi solet, & verè commodeq; id fieri alibi à me ostensum.* Coron. Gym. Log: t. 14. 15. *Practica Philosophia in* Ethicam, Oeconomicam, & Politicam, *tanquam inferiores suas partes, ex quibus illa aggregatur, subdividi solet. Quæ divisio quomodo ad Philosophiam Practicã se habeat, ibidem ostensum,* th: 21. *Et plurib. de veritate hujus divisionis disceptare ad aliam materiã, de naturâ Philosophiæ nempe, propriè spectat. Illud* hic *quærendum,* an divisio Philosophiæ Practicæ in Ethicam, Oeconomicam & Politicam sit proba, & quomodo se habeat? *An ut unius habitus in diversas disciplinas? an ut unius disciplinæ in diversas partes & modos applicãdi tantùm? Peccatur hic variè: defectu, excessu, & inaccuratione.* Defectu *1.* Ab illis, *qui unam tantùm Philosophiæ practicæ partem ponunt, Ethicam, & sub illâ Politicam & Oeconomicam comprehendunt. Quomodo unam tantum Phil: theoreticæ partem agnoscunt, Metaphysicam, sub quâ omnes reliquas scientias theoreticas tanquam partes comprehendunt. Ita* Anton. Mirandulanus de evers: sing. certam. l. 13. s. 6. & 7. ap. Pererium l. 1. d. Phil. c. 8. *Falsò. Diversa enim objecta formalia & diversi fines speciales in istis objectis implicati faciunt diversas disciplinas, ut alibi disputatur. Sed in Ethicis, Pol. & Oeconomicis illa sunt, ut* th. 3. *patebit. E. sunt diversæ disciplinæ*

plinæ. 2. Ab aliis, *qui plerasq; virtutes in Ethicis tractatas vel ad Theologiam, vel Iurisprudentiam, aut Physicam & Logicam remittunt, & ita Ethicam penè ex Philosophiæ practicæ partibus tollunt, ut* Althusius l.1.d.conv. civ. c. 2. Amesius l.2.medul:Theolog:c.2.§.16. *Falsò et hoc. Formales considerandi modi in objecto referunt illud ad diversas disciplinas. Sed in Theologiâ, Iurisprudentiâ aut Physicâ longè alia considerandi ratio justitiæ, fidei, spei, caritatis, veracitatis, humilitatis, beneficentiæ, liberalitatis, temperantiæ, ac in Ethicâ, ut diversitas disciplinarum docet. E. & ad diversas illæ virtutes disciplinas referendæ, & suus considerandi modus relinquendus est Ethicæ, suus Iurisprudentiæ a. Theologiæ.* Objectum *consideratum ad varias disciplinas pertinere potest:* modus *considerandi objectum uni disciplinæ est proprius.* 3. Ab illis, *qui Phil: practicam in Ethicam & Politicam tantùm dividunt, & Oeconomicam saltem appendicem Politicæ faciunt. Vt* Piccolomin. introd. c. 9. *At objectum speciale, & finis specialis ac proximus Oeconomices, est distinctus ab objecto & fine speciali Politices, Vt t.3. patebit. E. & ipsa Oeconomica erit distincta à Politicâ, non sola ejus appendix.* 4. Ab illis, *qui Ethicam, Politicam & Oeconomicam tres partes unius disciplinæ practicæ faciunt, non tres diversas disciplinas habitus practici in Philosophiâ. Ita* Gutkius dis. 1. Eth. q. 1. Elerus d. 1. colleg. Pract. t. 29. Dn. Eiflerus in prodid: Phi: pract. a. 6. q. 2. D. Jac. Mart. d. 1. Eudæmon. q. 1. Zapfius dist. Ethic. s. 1. n. 25. 26. Scharfius præco. Log: de Philosoph: p. 12. *Ita sententiam suam probant.* 1. Ubi datur *idem objectum & quà materiale & formale consideratum, ibi est una disciplina, non diversa. Sed in Ethicis, Politicis, & Oeconomicis datur tale objectum: Omnes enim tractant actiones humanas ut materiale, ut in illis honestas refulgeat, ut formale: Ethica uni-*

 ver-

versaliter & in vitâ communi: Politica & Oeconomica particulariter & in vitâ speciali. Ergo non diversæ disciplinæ. 2. Specialis *tantùm applicatio virtutum, manente generali considerandi modo, non potest facere diversas disciplinas. Sed in Pol. & Oeconom: est tantùm specialis virtutum in certo vitæ genere applicatio, manente generali ratione in Ethicis spectatâ. Sic in parte formali Logices spectatur syllogismus secundum formam: in materiali secundum applicationem formæ ad determinatam materiam Logicam, necessariam, probabilem, vel apparentem. Non tamen hinc diversæ disciplinæ Logicæ fiunt, sed unius Logicæ tantùm diversæ partes. Idem in Ethicis & Politicis esse debet.*

3. Opposita *tamen sententia communis est, vocans Ethicam, Polit: & Oeconomicam tres diversas disciplinas unius habitus Philosophici practici aggregati, ex quibus velut partibus aggregantibus ille habitus aggregatur. Quomodo Physica, Arithmetica, Optica, Musica, &c. sunt partes aggregantes Philos. theoreticam, & usitatè diversæ disciplinæ ejus appellari solent. Pro illius declaratione observentur sequentia.* 1. Diversus modus considerandi specialis *in objecto & fine speciali diverso fundatus, sufficiens est ad faciendas diversas disciplinas sub uno habitu velut aggregatas, quicquid sit de modo considerandi generali. Diversitas enim disciplinarum à modis considerandi specialibus & ultimis finibus specialibus sumitur, non generalibus. Sic Musica & Arithmetica diversæ disciplinæ sunt, quia illa numerum in sono specialiter considerat, hæc numerum in abstractâ ratione tantùm. Et illa alium finem specialem habet, quàm hæc. Illa benè canere: hæc benè numerare absolutè. Quicquid sit de generali considerandi ratione, quæ communis in objecto communi fundata est. Sic utraq; numerum considerat, ut numerabilis est: & numeri co-*

gni-

gnitionem pro fine generali intendit. Sed in Ethicis, Politicis & Oeconomicis est talis diversitas specialis in objecto & fine speciali fundata. Objectum speciale *Ethices est actio humana virtute morali in genere informanda, vel agibile virtuosum in genere tantùm:* Politices *est* πρακτικὸν πολιτικὸν, *agibile politicum in societate politicâ s. Reipublicæ; vel actio humana virtute Politicâ s. prudenti gubernatione Reipublicæ informanda:* Oeconomicæ *est* πρακτικὸν οἰκονομικὸν, *agibile Oeconomicū in societate domesticâ, seu actio humana virtute oeconomicâ s. prudenti gubernatione domus informanda. Hi modi considerandi speciales multum sunt diversi.* Deinde *fundantur etiam in finibus specialibus diversissimis. Ethices finis est, honestatis morum acquisitio in vitâ communi & quacunq; Politices salutaris & prudens gubernatio Reipublicæ, in salutem & emolumentum directa: Oeconomices salutaris & prudens gubernatio domus ad salutem & commodum ejus terminata. Hæc diversissima esse nemo negare poterit. E. ex hac diversitate etiam sufficiens fundamentum est distinguendi tres illas disciplinas.* 2. Non saltem *ex diversâ applicatione ad status speciales hæc diversitas sumitur, ut in Logicis in parte materiali: sed ex implicatione diversissimorū finium in suis objectiis specialibus, qui unâ implicantur & diversi sunt. Sic in Ethicis honestas generalis pro fine est: Sed in politicis prudentia politica & Salus Reipublicæ: in Oeconomicis prudentia domestica, & salus familiæ pro fine sunt. Hæc diversa esse, facilè liquet. In Logicis* unus finis generalis & specialis *manet, benè ratiocinari posse, & per id verum assequi. Hoc & in formali & materiali parte intenditur. Diversitas tantùm est in materiâ, in quâ finis ille intenditur introducendus, quæ variat partes unius disciplinæ, diversas disciplinas non facit. Sed in Politicis Oeconom: & Ethicis* non est unus finis spe-

specialis, sed diversus, *ut patet. Vnde hic diversæ disciplinæ introduci possunt, non in Logicis.* 3. Quomodo *ex diversâ consideratione speciali objecti Musicam & Arithmeticam diversas disciplinas Philos. theoreticæ facimus, etsi objectum generale sit unum, numerus: Ita & ex diversâ consideratione speciali objecti Ethici, Politici, & Oeconomici, diversas disciplinas facere possumus in Philos. practicâ, etiamsi generale objectum sit idem. Par enim hactenus est ratio. Sed ibi id facimus, ut ex divisione Phil. Theoreticæ in sua inferiora patet. E. & hic idem facere licebit. Quicquid sit de generali objecto in omnibus invento, actione humanâ dirigendâ. Hoc n. per fines speciales valdè specialiter est determinandum, quando disciplinæ distinguendæ veniunt, Vt ex antedictis patet.* 4. Quomodo *in Philo: theoreticâ Metaphysicam possumus dicere Philosophiam generalem: Pneumaticam, Physicam, Mathematicam, Philosophiam specialem, nec tamen id impedit, quò minus Metaphysica, Pneumatica, Physica, &c. dicantur diversæ disciplinæ: Sic Ethicam Philosophiam generalem dicere possumus, Polit. & Oeconom. Philosophiam specialem, & tamen similiter manent diversæ inter se disciplinæ.*

4. *Ad* opposita *ex dictis facilis est responsio.* Ad 1. *Negatur minor. Formale enim ex speciali considerandi modo sumptum hic variat, non tantùm ex applicatione ad diversos status, sed ex implicatione ad diversos fines, qui diversa formalia objecta faciunt in practicis, etsi generale objectum unum maneat, ut dictum.* Ad 2. *etiam minor neganda. Non tàm diversa hic est applicatio, sed diversissimorum finium & objectorum specialium ratio, Vnde hoc discrimen disciplinarum desumitur. Fines ultimi hic diversi sunt, qui diversitatem dant, quicquid sit de intermediis.* Addo 3. Non sunt ita *diversæ hæ disciplinæ, quasi nullo objecto aut fine, etiam generali, conveniant,*

niant, sic enim actio humana dirigibilis est objectum, honestas & prudentia practica finis generalis & in Ethicis, & Politicis, & Oeconomicis: sed quòd objectis formalib. & finibus specialibus ac ultimis *divertant, sic n. quævis suum proprium objectum & finem habet. Sic in Geometriâ & Opticâ linea consideratur, ut objectum generale: finis generalis est, verè naturam lineæ novisse. Objecta specialia finibus specialibus implicata sunt diversa. Ibi, metiri exactè quodvis mensurabile posse: Hic, lineam visivam ejusq; competentias exactè dimetiri posse.* 4. Nec ita *distingui debent tres istæ disciplinæ, quasi Ethica doceret honestatem saltem in vitâ privatâ & solitariâ, Oeconomica in vitâ conjugatâ, Politica in vitâ publicâ & politicâ, qui est communis error in illâ divisione, & diu obtinuit. Nam Ethica mores honestos nō in vitâ privatâ solùm format, sed* generaliter in quacunque, *sive ea solitaria sit, sive conjugalis, s. politica. Vbiq; modum vivendi justè, temperanter, veraciter, liberaliter, &c. ex Ethicis desumes. Et multæ virtutes morales non possunt exerceri, nisi in societate hominum & civili, ut veracitas, liberalitas, mansuetudo, officiositas, &c. In quocunque ergò statu vita sit instituenda, exercitium formandi honestos mores ex Ethicis suppeditabitur. Vnde &* Aristot. 10. Eth. Nicom. c. 10. *Ethicam fundamenta* universæ vitæ civili *suppeditare dicit, non privatæ tantùm & solitariæ: & εὐδαιμονία in illis libris pertractata non est bonum hominis privatam vitam viventis, sed in genere quamcunq;, sive privatam, s. publicam, indifferenter eam sumendo, non ad unum statum restringendo.*

5. In excessu *contra divisionem Phil. Practicæ peccant,* 1. Qui *ad Ethicam, Oecon. & Politicam adhuc addunt scholasticam & Historicam, tanquam diversas disciplinas Phil. Practicæ. De his monui* c. 1. Gym. Log. c. 21. *Non debet diffundi*

in plura, quod potest constringi paucioribus. Ingenio n. & memoria humana in disciplinis consulendum. Scholastica *ad Politicā referri potest, sub titulum, de administratione magistratus Scholasticâ.* Historica vel *non est peculiaris disciplina, sed omnium velut additamentum & ornamentum, exemplariter illustrans ea, quæ præceptis disciplinæ proposuerunt. Vt in physicis exempla historiæ naturalis pro illustratione apponi possunt, in Ethicis historiæ virtutum, vitiorum &c. Nulla enim peculiaris disciplina Philosophica* de merè singularib. *quatenus sunt singularia, agere debet; ut alibi docetur:* Vel *si est peculiaris disciplina, est humanæ doctrinæ disciplina diversa ab Philosophiâ: Vt universa doctrina humana secundum memoriam, phantasiam & rationem dividatur, Et* memoriæ *assignetur historia, Phantasiæ poësis, Rationi philosophia, ut hæc peculiaris doctrinæ humanæ pars â prioribus constituatur, ut* Verulamius *vult* l. 2. d. augm. scient: c. 1. Vel *si omninò peculiariter de historicâ quid præcipiendum, i. e. de modo legendi, scribendi, docendi, discendiq; historiam, erit tali disciplinæ locus non inter disciplinas Philosophicas & reales, sed* earum appendices, & instrumentales, *quæ non reale aliquod objectum vel ad cognitionem vel ad operationem moralem destinatum intellectui explicent, sed notiones quasdam, quæ instrumenta sint ad notionaliter operandum in realibus disciplinis, v. g. notiones congruè loquendi, ornatè dicendi, aptè persuadendi, accuratè ratiocinandi, ligatè componendi aliquid, & similiter. Quales disciplinæ sunt Grammatica, Rhetorica, Logica, & similes. In illarum numerum adjiciam* Historicam, *quæ notiones suppeditet benè discendi docendive historiam, i. e. benè* historisandi, *ut ita loquar. Vt ita finis disciplinæ sit notionalis, & objecta ab eâ proposita similiter sint notionalia, & instrumenta benè operandi in realibus*

libus disciplinis. Notionales a. disciplinæ ad Philosophiam non pertinent, ut alibi docetur, & sic nec historia, tanquam peculiari disciplina, sub ejus partibus comprahendenda.

6. Inaccuratione *contra divisionem peccant* 1. qui phil. *practicam in theoreticam & practicam dividunt, & theoreticam Ethicam faciunt, practicam Oeconomicam & Politicam.* Piccolomin: grad. 10. c. 8. *Hoc* 1. est *contra naturam Phil: practicæ. Practicum est, cujus ultimus finis est praxis & moralis honesti actio, non theoria. Nulla ergò ejus pars theoretica esse potest quia nullus ejus finis tantùm est contemplatio.* 2. Est *contra naturam Ethicæ. Ejus finis non contemplatio, sed actio. Theoreticum a. est, cujus finis est contemplatio. Malè ergo Ethica theoretica dicitur. Si theoreticam inde dicas, quòd quædam proponat à praxi remotiora, ut definitiones, divisiones: etiam Oeconomica & Politica hac ratione theoreticæ erunt, nam & hæ definitiones & divisiones continent, quæ à praxi sunt remotiora.* 2. Illi, *qui doctrinam civilem in doctrinam de conversatione, de negotiis, & de imperio s. Repub: dividunt. Vt* Verulam: l. 8. d. augm. scient. c. 1. *Hic & multa ambiguis terminis involvuntur, & membra divisi non satis sunt contradistincta.* Ambiguum *est, Ethicam disciplinam de conversatione appellare, aut Oeconomicam de negotiis. Æquè enim in Oeconomicis est conversatio, ac Ethicis: imò magis in illis, quàm his. Nulla enim virtus Oeconomica exerceri potest, nisi in conversatione: Quædam Ethica sine illâ potest, ut continentia, sedulitas, parsimonia.* Non satis *contradistinguuntur, de conversatione, de negotiis, & de Republ. In conversatione n. sunt negotia, & in negotiis potest esse Respublica, & in utrisquè conversatio, & in hac utrumq; præcedentium. Nec ad* privatorum *usus aut placita novanda sunt vocum usitatarum significata, quæ usu occupantur,*

tur, sicut nummi, nec facilè ad aliena, nisi cum necessitas postulat, sunt deflectenda. Multa ad hanc rem pertinentia deducenda essent, sed hic thesium rationi studendum, cæteraq; aliijs locis sunt committenda. Velut & de Philosophiâ practicâ *in genere plura moveri possent. Vt,* An *præstantior illa theoreticâ?* An *verè per prudentiam definienda?* Quomodo *ad partes illius se habeat prudentia, an ut genus, an ut dirigens quoddam?* An *ex æquo de omnibus partibus prædicetur?* An *juvenis idoneus auditor Phil. practicæ?* An *magis exemplis & factis tradenda illa, quàm præceptis?* An *prius ordine doctrinæ tradenda Theoreticâ, an posterius?* Quodnam *verum & adæquatum ejus objectum?* An *subalternetur theoreticæ, an hæc illi?* An *futuro Theologo & ICto sit necessaria, & quomodo? Hæc & similia alibi disceptanda. Hic manus è tabulâ amovenda, & calamum plura chartæ daturum substringere oportet. Quædam horum* c.l. in Gym. Log. & ap. D. Meisner: de sum. bo. proem. 1. Alstediũ Cent. quæ. Eth. dec. 1. q. 3. 4. & comp. Eth. Aristot. f. 1. q. 1: 2. Crugerũ in hort. Virt. q. 1. 2. *aliosq; invenias. Redeundum est ad lineam, & quod titulus disputationis poscit, de Ethices naturâ quædam constituenda.*

7. *Dandam esse* Ethicam *in practicâ Philosophiâ ab Oeconomicâ & Politicâ distinctam nemini, quod sciam, ambigendi occasionem suppeditavit. Sed quot modis consideretur, hic in antecessum quæratur? Spectatur* vel ut *pars totius habitus Philosophici, aggregans habitum illum mistum est, sic in præcognitis Philosophicis de naturâ & partibus Philosophiæ totius inter alias partes Ethica adducitur; Ita ad naturam Philosophiæ accuratiùs noscendam pertinet:* Vel ut *pars Philosophiæ practicæ est ad integritatem ejus faciendam relata: sic respectivè in ordine ad Philoso. practicam spectatur in doctrinâ*

generali Philos. Practicæ, & definiri solet pars generalior Philos. practicæ, actiones morales viri boni in genere sub honesti ratione ad civilem beatitudinem simpliciter ordinatas tractans & dirigens: Vel ut *in principiis suis mentibus hominum à creatore est insculpta, ejusq; præcepta ab homine benè se habente agnosci & in actum deduci possunt: Ita ad hexilogiam & doctrinam de habitibus pertinet, ubi inter cætera prudentia, ars, synteresis, explicantur: prudentiæ autem species est Ethica, quæ prudentia aliqua:* Vel prout *ordine aut nobilitatis aut cõmodioris doctrinæ disciplinis aliis in habitu philosophico aut præponi aut postponi debet. Ita in Didacticâ Philosophicâ de ea mentio fieri solet:* Vel ut *absolutè est habitus practicus, animum hominis ad exercitium virtutum moralium informans in vitâ quæcunq; sic primo inter disciplinas practicas loco in Philosophiâ tractari solet, & ita* huic consideratio-ni *subjacebit.*

8. Præcognito Ethico *præmisso ipsa Ethica videatur nominaliter & realiter. Nominaliter* 1. in Homonymiâ. *Sumitur interdum synecdochicè, pro totâ Philosophiâ practicâ, quomodo Stoici Philosophiam in Logicam, Physicam & Ethicam dividebant:* Interdum *pro systemate præceptorum Ethicorum, sic Ethicam Aristotelis, Philippi dicimus:* interdum *pro cognitione præceptorum Ethicorum, etsi actio non sequatur. Si Ethicũ vocamus, qui materias Ethicas benè novit:* Interdum *propriè & strictè pro parte Phil. practicæ generali, Politicæ & Oeconomicæ contradistinctâ. Sic sumitur* vel *adjectivè, ut* ἠθικὴ *subaudiat vocem* τέχνης *vel* φρονήσεος, *Ethica sc. ars vel prudentia, quomodo Logica adjectivè subaudit vocem artis vel disciplinæ:* Vel *substantivè, ut Ethica non aliam vocem subaudiat, sed in se & absolutè sit prudentia ipsa morum. Ita hic sumitur, & denominationem dat Viro*

Ethico, actioni Ethicæ, moribus Ethicis. &c. 2. In Etymologiâ, *quæ Logica aliunde non est, ipsa enim vox Ethicæ primitivi significati est, aliam abstractiorem & priorem, unde denominetur, non habens, sed cæteris à se denominatis denominationem suppeditans:* Grammatica vel *magis apparens est, quæ à causâ est, à voce* ἔθος, *assuefactio, est enim consuetudo causa habitus & morum introductorum in subjecto.* Vid. 2. Ethic. c. 1. vel *magis vera, quæ ab objecto & effecto ducitur, à voce* ἦθος, *quæ mores leniores & suaviores notat, quia circa mores hominum formandos occupatur, & ex actionibus turbulentis & immoderatis mediocres & rationi conformes, adeoq; virtuosas, efficit.* 3. In Synonymia, *Quâ etiam dicitur moralis disciplina, doctrina morum, prudentia summi boni civilis, Civilis doctrina Aristoteli* 1. Nicom: c. 1. Ciceroni l. d. fato §. 1. *moralis Philosophia.* 5. Tuscul. qu: §. 5. *periphrasticè vitæ dux, virtutum indagatrix, vitiorũ expultrix, dicitur.* Platoni *animi medicina & maxima quædam Musica in thæteto, de quo* V. Goclen. q. 2. Ethic. *Allusione mythologicâ fructui & cœlo in horto comparari potest, quomodo de Philosophiâ practicâ dicere solent,* V. Alsted. c. 1. Eth. *Græcis* ἠθικὴ, *Germanis* die sittenkunst *dicitur.*

9. *Nomine viso* res ipsa *videbitur per definitionem, causas, subjectum, objectum, divisionem, affectiones, & respectiva attributa.*

10. Definitio *sit*: Ethica est prudentia actiones humanas moraliter informans, ad summum bonum morale per virtutes consequendum.

11. *Definitio habet* genus & differentiam. Genus *est prudentia.* Prudentia est habitus intellectualis *cum rectâ ratione activus eorum, quæ homini sunt bona aut mala.* 6. Nicom. c. 5. *Definitionis hujus veritas alibi accuratè est discu-*

ſcutienda. Hic magis aſſumenda, quàm confirmanda erit. Habitus intellectus *eſt, quia intellectum perficit, non corpus, non appetitum ſenſitivum a. voluntatem:* activus cum rectâ ratione, *quia non ad ſolum contemplandum perficit, ſed ut cognitionem ulteriùs ad probam actionem ordinemus, dirigit. Tale ergò genus, prudentiam, verè Ethicæ competere probatur* & remotivè, & poſitivè. Remotivè *ab oppoſitorum remotione. Ethica non eſt habitus corporis, nec inſtrumentalis, nec ex principalibus intelligentia, ſapientia, ſcientia, aut ars. E. eſt prudentia. Quia plures habitus mentis intellectuales non dantur apud* Ariſtotel. 6. Nicomach. c. 3. & 5. Eudem. c. 8. *Non eſt habitus corporis;* 1. quia *non hæret in corpore, ut ſanitas, pulchritudo, ſed animo.* 2. Non *perficit & informat primò & immediatè corpus, ſed mentem. Cum virtus aliqua & inſtrumenta corporis ad mediocritatem formare dicitur, ut taciturnitas linguam, temperantia corpus, ſecundò & mediatè hoc fit, quatenus per organa corporis virtus exerceri debet. Sed principale motivum exercendi eſt animus. Nec eſt* habitus inſtrumentalis. *Hic enim non per ſe expetitur, ſed propter aliud: nec pars habitus Philoſophici accuratè dicta eſt. Sed Ethica propter ſe expetitur, quia proprium finem & utilitatem in ſe continet, quæ in ſe terminatur, nempe felicitatem moralem, non ad aliud applicatur: Et ex naturâ ſui ad uſum alius diſciplinæ vel facultatis ſe componere non cogitur, quod habitus inſtrumentales facere ſolent. Si interdum Ethicam ad Theologiam & Iurisprudentiam tanquam inſtrumentum aliquis adhibet, ex accidente id eſt, ex uſu & intentione utentis, non naturâ ipſius diſciplinæ in ſe. Quomodo Phyſicam quis adhibet ad Medicinam, Phyſica tamen in ſe habitus principalis manet, non fit inſtrumentalis. Deinde Ethica eſt pars aggregans habitus Philoſophici, ut* c. 4 & 5. *patuit. Sed habitus in-*

instrumentales sunt instrumenta Philosophiæ, non partes, ut alibi disceptatur.

12. *Nec ex* principalibus *habitibus Ethica est* intelligentia. 1. Quia *finis hujus est mera & contemplativa cognitio. At Ethicæ finis est moralis actio, non nuda cognitio.* 2. Quia *objectum hujus sunt prima, necessaria, indemonstrabilia & æterna principia, quæ intelligentia considerat. Vt, Deus est, Totum est majus suâ parte, bis bina sunt quatuor. Nihil simùl est, & non est. Sed Ethica est inferiorum principiorum, ut Honestè vivendum esse, Neminem lædendum: & varias conclusiones ex principiis deducit, &* circa res mutabiles & sui naturâ contingentes *versatur, ut actiones humanas, virtutes, amicitias, & de quibus est consultatio. Vnde virtus moralis habitus esse dicitur ad consilium capiendum expeditus,* 2. Eudem: c. 2. *Nec est* sapientia. *1. Quia & hæc finem ultimum habet contemplationem. Ethica moralem actionem. 2. Objectum hujus sunt prima & necessaria principia simùl & conclusiones ex illis eductæ. Sed Ethica principia nec prima sunt, sed secunda & dependentia: nec necessaria necessitate rei & theoreticâ, sed agibilia, adeoq; rerum per se contingentium & mutabilium, non æternarum & necessariarum, quæq; â nostro arbitrio & actionibus non pendeant: nec conclusiones Ethicæ ex primis principiis sunt deductæ, sed secundis & dependentibus. Nec est* scientia, *quod genus ipsi assignant* Evenius d. 1. Eth. th. 2. Eustachius S. Pauli q. 1. Ethic. proœm: Waleus proëm. Eth. p. 3. Raconis præcog. Eth. præl. 3. c. 1. prop. 1. *ex parte* Morisanus d. 1. Eth. q. 2. Gilkenius præf. comm. Ethic. *qui & Iurisprudentiam & practicam Philosophiam per scientias definit.* 1. Objectum *scientiæ est res æterna, necessaria, & â nostro arbitrio non pendens, nec â nobis agibilis aut omittibilis pro libertate arbitrij, ut patet in-*

ductione verarum scientiarum, ut Metaphysica, Pneumaticæ, Physicæ, Mathematicæ. Sed res Ethicæ sunt contingentes, mutabiles, â nobis agibiles aut omittibiles, & in nostro arbitrio positæ, ut virtutes, amicitiæ. V. Aristot: 1. Nicom. c. 3. l. 2. c. 2. l. 6. c. 4. 2. Scientiæ ultimus finis est, sola cognitio objecti scientifici, & in eo ex naturâ ipsius disciplinæ tanquam in ultimo fine acquiescentia. Sed Ethicæ ultimus finis non est scire & cognoscere, sed ex naturâ ipsius disciplinæ agere, & in opus morale deducere id, quod cognovisti, ut c. 18. patebit. E. nequit esse scientia. 3. Scientia admittit rigidas demonstrationes rei necessariæ ex necessariis & proximis causis. Sed Ethica non res necessarias habet, nec rigidas demonstrationes admittit, quia objecta Ethica, actiones humanæ, in se sunt res contingentes, mutabiles, nostro arbitrio subjectæ. At subjectum demonstrativum debet esse res æterna, necessaria, & â nobis in essentia suâ non producibilis aut immutabilis. Ergò.

13. Dices 1. Res Ethicæ sunt mutabiles quà singularia, & in individuo, & particulari ac actu exercito, ut Raconis loquitur: immutabiles quà universalem formam, in genere, in universali & actu signato, & sic constantes & necessariæ. ℞. Quicquid in totâ sua essentiâ â nostrâ libertate & actione dependet, nequit esse Ens necessarium, nec in universali formâ, aut genere: tota n. ejus essentia contingens est, & â contingente liberaq; causâ pendet, actione humana: nec in singulari aut individuo. Sed res Ethicæ ita à nostrâ libertate dependent, ut totum suum esse inde habeant, ut virtutes, amicitiæ, consultationes, electiones, quæ frustraneæ essent, si non à nostrâ voluntate penderent. Quis enim de rebus Physicis aut Metaphysicis consultat? Dices 2. Res Ethicæ sunt necessariæ, quando sunt & existunt, etsi absolutè non semper sint. Sunt contingentes ratione actionis: necessariæ ratione cognitionis.

℞. *Illa necessitas est saltem hypothetica, quæ omnibus rebus contingentibus potest competere. Sic homo currens, quandò currit, necessariò currit. Absolutè tamen hominem currere, merè est contingens. Et cognitio non facit rem necessariam, si ipsa in se non est necessaria.* Res enim non pendet à nostrâ cognitione, sed contrà cognitio à rebus. *Et ut res sunt, ita debet esse nostra cognitio. Ubi res contingens est, etiam cognitio de illâ contingens dicitur. Ubi res necessaria, & cognitio ejus demonstratio dicitur. Est enim* vera cognitio & conceptus rei, similitudo & æqualitas in mente repræsentata cum ipsa re. *Et præcepta de rebus data sunt vera, quia res sunt veræ, quas præcepta explicant: non res sunt veræ, quia præcepta rerum sunt vera.* νοήματα *sunt* ὁμοιώματα *rerum, ait* Arist. l. d. interp. c. 5. *ad quæ noemata & præcepta pertinent, & sic rerum naturis sunt assimilanda.*

14. 3. Etiam in Ethicis *datur demonstratio, datur n. necessaria terminorum quorundam in propositione connexio, quæ est necessitas demonstrativa. Ut, inter quos est unio in virtute, inter illos vera moralis est amicitia. Qui perfecto exercitio virtutum est præditus, est moraliter beatus, sunt immutabiles connexiones rerum, & sic res demonstrabiles. R.* 1. Ubi res ipsa *non est necessaria, ibi connexio nostra terminorum necessitatem & sic demonstrationem facere non potest. Debet n.* nostra cognitio regulari ad rem: *& si illa necessaria a. contingens sit, etiam cognitio talis erit:* non res ad nostram cognitionem, *ut si hæc necessaria nobis videatur, statim & ipsa sit necessaria, & sic demonstrationem habeamus. In omnib. artibus, disciplinis notionalibus & practicis, tales connexiones habere possumus, quæ nobis videantur necessariæ, verè tamen necessariæ non sunt, quia res ipsæ contingentes & liberæ sunt. Ut, quæcunq; sunt nomina in A. Latina, sunt fœmi-*

nina

nina. Quæcunq; sunt nomina in v, sunt neutra. Vbicunq; propositiones sunt merè negativæ, ibi Syllogismus est vitiosus. Vbi terminus medius in præmissis disponitur loco subjecti, ibi est syllogismus tertiæ figuræ. Vbi ad justitiam omnia administrantur, ibi justa & perfecta est Respublica. Omnia hæc Enunciata videntur necessaria esse necessitate consecutionis: res ipsæ tamen in se sunt contingentissimæ, & â nostro arbitrio, aut placito Latinorum scriptorum pendentes. Nec ipsæ res semper existunt, quod necessariarum est proprium: nec, si existunt, ex sui naturâ necessariò existunt, sed liberè, pro nostra operatione vel morali, vel instrumentali & technologicâ existunt, quod etiam alienum est â necessariis rebus, quæ ita existunt, ut â nostro arbitrio a. operatione existentia illarum nec poni, nec tolli possit. 2. distinguendum *inter necessitatem veram & primariam, & apparentem & secundariam. Ad materiam demonstrabilem non sufficit necessitas secundaria, quæ est necessitas connexionis terminorum, propositionis & doctrinæ, quæ* in omnib. artib. & disciplinis *esse potest, in quib. res tractantur merè contingentes: sed & requiritur necessitas primaria, quâ objectum ita est necessarium, ut nec quandoq; sit, quandoq; non sit: nec per nostram libertatem & actionem demum in esse deduci possit. Non nostræ connexiones facient necessitatem*, nisi in objecto ex sui naturâ necessario sint fundatæ. *Tale a. objectum in nullâ re practicâ est, sed scientiâ: & ita nec in illâ vera est demonstratio, sed certa tantùm probatio, quæ latior est demonstratione.* Analogiam & umbram *demonstrationum tales connexiones habere possunt: veræ demonstrationes non sunt, ut alibi latius disceptatur, ubi leges necessitatis, de omni, per se, & reciprocum, â Ramistarum extensionibus in Logicis vindicantur. Ita rectè Philosophus* 1. Nicom. c. 1. *pingui quadã Minervâ & adumbratâ figuratione*

verum in moralibus ostendi ait: tantumq; exactam in aliquo genere rei explicationem requirere eruditum jubet, quatenus pati rei ipsius natura potest. *Quod* 2. Nicom: c. 2. *repetit*. 4. Contraria *distant sub eodem genere, ut album & nigrum sub calore. Sed Philosophia Theoretica & practica sunt contrariæ ob diversos fines, quos habent. E. sunt sub eodem genere, & sic, ut theoretica est scientia, sic & practica. R. sunt sub eodem genere, sed hoc hic est* pars Philosophiæ, *in quo theor. & practica Philosophia conveniunt. Scientia est genus alterius partis, theoreticæ philosophiæ: quemadmodum prudentia practicæ. Non est hoc genus totius Philosophiæ, sed partium quarundam sub illâ aggregatè contentarum. Plura horum in discursum relinquenda.*

15. *Nec Ethica est* ars, *quod genus ipsi assignant* Sagittarius Cen. 3. Meta. d. 3. c. 10. & in temp. virt. ex. 1. q. 1. Snellius p. 6. Eth. Gorlæus exer: 1. s. 3. n. 4. Heiderus p. 1. Phil. mor. p. 15. Rigerus l. 1. Eth: c. 1. *& Ramistæ communiter. Ars enim* 1. est *habitus effectivus operis externi, & in sensus incurrentis, quod sit* ποίησις, *non praxis, ut alibi deductum. Sed Ethica operis moralis est effectiva, quod sit* πρᾶξις, *& quod in animo manere possit, ut opus continentiæ, castitatis, taciturnitatis.* 2. Per *instrumenta corporea operatur, & corporis usibus præcipuè destinatur. Vt sutoria, sartoria, pistoria, docent. Sed Ethica* nec *denominat virtuosum per operationem præcipuè corporis:* nec *præcipuè corporis usibus destinatur, sed animi perfectionem spectat. De* oppositis *per discursum videri poterit. Ita per remotionem cæterorum habituum principalium, relinquitur, genus Ethicæ esse prudentiam. Quod probatur* 2. positivè 1. à *definitione prudentiæ* t. 11. *traditâ, quæ Ethicæ competit. Et definitum ergò genus, prudentia, ei non est neganda.* 2. Ab *objecto prudentiæ, quod in Philosophiâ*

pra-

practicâ & prudentiâ est actio humana moraliter informanda. 6. Ethic. c. 8. *Tale etiam in Ethicis est.* V. t. 17. 3. à fine *ejusdem, qui est bonum honestum. Talis etiam in Ethicis. E. omninò prudentia.* 4. A partitione *Philosophiæ. Philosophia est habitus animi mistus, scientiâ & prudentiâ civili constans, ut alibi assertum.* cor. Gy. Log. t. 11. *E. Ethica aut ad scientias pertinebit, quod non, quia harum finis est nuda contemplatio: aut ad prudentias, & ita verum ei genus assignatur prudentia, ut theoreticis disciplinis scientia. Quod genus penitissimè ei negant* Evenius, Eustach: s. Pauli locis t. 12, *citatis.* Zapfius dist. Eth. s. 2. t. 2. Raconis c. l. prop. 2. *de quorum rationib. in discursu videbimus. Quædam veræ ineptiæ & meri lusus vocabulorum sunt, quæ aut non intelligunt, aut recto sensu assumere nolunt.* Alii *alia genera assignant Ethicæ.* Quidam *doctrinam vel disciplinam.* Goclen: d. 30. Eth. t. 1. Sluterus in syncr. c. 3. t. 17. Timpler. l. 1. Eth. c. 2. q. 1. Ch. Matthias præc. Eth. t. 2. Danæus l. 1. Eth. Chr. c. 1. Golius proleg. Eth. p. 2. Scultetus l. 1. Eth. c. 1. Heiland⁹ in l. 1. Eth. c. 1. *alijq. Nimis remotũ hoc est. Omnes partes philosophiæ, tàm theoreticæ, quàm practicæ, disciplinæ vel doctrinæ vocari possunt, quæ tamen generibus proximis differunt cum aliæ sint scientiæ, aliæ prudentiæ. Et accidentale est habitibus, doceri vel disci, ut inde doctrinæ vel disciplinæ dicantur. Accidentalia autem pro generibus assignari non debent.* Alii *Philosophiam pro genere assignant.* Picolomin. introd. 10. grad. *Falsò & hoc. Philosophia nomen totius habitus aggregati est. Sed Ethica tantùm pars sub illo toto contenta est.* Alii *partem aut speciem Philosophiæ practicæ.* Zapfius distin. Ethic. p. 25. Eustathius proœm: Ethic. Nicom. Crügerius hort. virt. q. 6. Donaldsonus l. 1. syn. Ethic. c. 1. Scharfius præcogn. Log. d. Philosop. p. 12. *Malè & hoc. Res de-*

 bet

bet definiri absolutè in suâ quidditate, non respectivè, prout est pars vel species sub altero contenta, quomodo Ethica est pars Philosophiæ V. t. 7. *In essentiâ debet definiri, non existentiâ, quorsum magis pertinet, partem esse. Etiam Physica & Mathematica sunt partes Phil. theoreticæ. Nemo tamen per partes illas definit, sed absolutè per scientias. Malè definies hominem speciem animalis: justitiam speciem virtutis, etsi talia sint: sed absolutè essentias illorũ explicabis per animal rationale, & virtutẽ suũ cuiq; assignantem. Et in definitionib⁹ non debent admisceri vocabula Logica, qualia sunt, pars, species, inquiunt Logici.*

16. *Satis de* genere *Ethices:* Ex differentiâ *dicitur, humanas actiones moraliter informans, ad summum bonum morale per virtutes consequendum. Vbi partim* ab objecto, *partim* â fine & mediis, *Ethices differentia sumitur.* Ab objecto *dicitur informare actiones humanas. Actiones humanæ hic intelliguntur, quæ* liberè & moraliter *ab homine effici possunt. Nõ quæ illi* vel *naturaliter sunt propriæ, ut ratiocinari, discurrere, ridere, flere, canere, numerare:* vel *communes cum brutis sunt, ut edere, bibere, currere, & similes:* vel *artificialiter ab ipso sunt operabiles, ut saltatio, citharisatio, pugilatio, quæ sunt* ποιήσεις, *non* πρᾶξεις. *Has actiones morales objectum Ethices esse priusquam probetur, adverte, objectum Ethices hic dici id, circa quod informandum Ethica versatur. Hoc Objectum posse esse* vel ultimatum *& denominationis; quod morale & moratum denominatur ab Ethicâ, hoc est ipsum compositum & homo moraliter beabilis, s. quatenus felicitatis civilis capax est: huic summum bonum morale attribui & hic inde moraliter beatus appellari potest: & hujus informationem quoad animum intendit Ethica, non corpus, cujus perfectionem vel Medicina quæret, vel alius habitus corporis,*

ut

us vocatur, ut pugilatoria, saltatoria: Vel mediatum *& determinationis, quod specialiter & tanquam subjectum quo beatitudine perficitur, ut per eam compositum tandem felix esse dicatur. Hoc* vel *remotum,* vel *proximum esse potest.* Remotum *facultas appetens, quatenus ratione regi, ejusq́, capax esse potest. Hæc est* vel *rationalis per essentiam, & ex se, quæ dicitur voluntas:* vel *per participationem & communicationem, quæ dicitur appetitus sensitivus. Appetitus, qui nihil rationis participat in actibus suis, ad objectum Ethicum* per se *& directè nō pertinet. Vt facultas vegetativa cum suis actibus. Vt nutritio, concoctio, accretio, diminutio, expulsio, retentio:* Per accidens *& secundariò ad Ethicam tales actus referri possunt, cum applicatio agentis ad patiens est in nostrâ potestate. Vt cum cibum pro placito assumimus, aut omittimus. Vnde in assumptione cibi temperantia exerceri potest, & sic actus aliquis moralis induci.* Proximum objectum est actio humana moraliter ad honestatem informanda. *Quæ & est subjectum, aptitudinem recipiendi honestatem habens: & in Ethicis ad honestatem moraliter informari debet, quomodo est objectum Ethices proximum: & efficiens virtutis proxima, quomodo de eâ inter cætera* d. 3. *agetur.*

17. *Esse hoc verum & proximum Ethices objectum probari potest* & *artificialiter* & *inartificialiter.* 1. Artificialiter: 1. Quia *species & principia actionum humanarum in Ethicis tractantur. Vt quòd sint voluntariæ, vel invitæ, vel mistæ: bonæ vel malæ: prudentes vel imprudentes. Quod prodeant à voluntate, assvefactione, scientiâ, ignorantiâ, levi vel crassâ, deliberatione, consilio. &c. At cujus species & principia in disciplinâ discutiuntur, illud meritò objectum ejus statuitur.* 2. Quia *media ad consequendum finem illis conformantur, virtutes, quæ præscribuntur, ut per earum actiones*

ones beatitudo civilis in quavis vitâ comparetur. 3. Quia *Ethica est habitus practicus. Occupatur ergò circa actionem, quæ praxis est, ut circa proximum objectum Hoc enim habituum practicorum est proprium, circa praxeîs & actiones morales occupari.* 4. Quia *per hoc objectum Ethica distinguitur ab alijs disciplinis practicis, quarum nulla de actionibus humanis ad honestatem redigendis generaliter & in vitâ communi agit, quàm hæc moralis. E. hoc formale & proprium ejus objectum erit.* Inartificialiter, *ut testimonio partim Aristotelis, qui* & *de moribus sua Ethicalia inscripsit, ut in Nicomachicis, Magnis moralibus, & Eudemiis patet:* & *de moribus se acturum esse professus est,* 1. mag. mor. c. 1. *Mores autem sunt actiones humanæ: partim aliorum, ut* Piccolominei c. 3. 4. introd. D. I. Mart. C. 1. d. 3. q. 7. D. Meisneri de sum. bo. prolegom. 2. q. 3. Morisani d. 1. Eth. q. 1. Golij in prol. Eth. Auerrois parap. libb. Platonis de Republ. Thomæ & Acciaoli in 1. Ethic. Aristot. *in principio, & aliorum. Multa aliàs varietates de objecto Ethices apud authores sunt, quas* ap. Timplerum 1. Ethic. c. 1. q. 3. Chr. Matthiam præc. Ethic: n. 6. Piccolomin. c. l. c. 2. *aliosq́ videas.* Timplerus *modum honestè vivendi objectum facit. Sed id magis est objectum tractationis, quod in theoreticis disciplinis respicitur, quàm informationis, quod hic, ut in practicis, quæritur.* Scultet. l. 1. Eth. c. 1. finem hominis, *cujus causâ creatus est, rectè vivere, pro objecto ponit. Sed* aliud *est in practicis finis;* aliud *objectum, in quod finis per media introduci debet. Rectè vivere finis hominis est: Actio humana proximum objectum, quod fine isto perfici & informari debet.* Chr. Matthias *potiùs actionum humanarum principia, intellectum practicum & voluntatem adæquata objecta Ethica facienda putat,* c. l. *Sed illa non objecta pro-*

xima

xima & totalia, sed quædam ad illa pertinentia erunt, eorum nemse principia. Sed principia non sunt objecta adæquata, sed ea, quæ constituuntur ab ipsis. Obliquo casu principia *rerum ad objecta pertinent, non recto. Sunt objecta, i.e. in objectis & ad ea pertinentia, non objecta directè. Sic corpus naturale manet directum & totale objectum in Physicis: cætera ad illud in obliquo pertinent, quatenus principia, causæ, affectiones, opposita, partes objectorum, aut simile quid sunt. Idem de actionibus humanis, & intellectu practico, in Ethicis sentiendum.* Actiones *sunt directum objectum:* Reliqua vel ut *principia objecti, ut intellectus, voluntas, electio, consultatio:* vel ut *media finis, ut virtutes:* vel ut *consequentia & fructus, ut amicitia, voluptas moralis, &c. eò pertinent.*

18. *Reliqua definitionis verba* â fine Ethices interno & externo *sumuntur. Finis Ethices* alius *absolutè ultimus & generalis esse potest, ad quem omnes diciplinæ actusquè nostri sunt dirigendi, & quem Ethica cum omnibus alijs disciplinis communem habet, non sibi proprium & determinatum: Talis est gloria Dei.* 1. Cor: 10. v. 31. *alius specialis & determinatus, qui soli Ethicæ determinatè competit, ut alijs disciplinis non sit communis. Hic* vel *est internus, qui in ipsâ disciplinâ obtinetur, & in potestate artificis est, diciturq;* officium disciplinæ: *Talis hic est,* humanarum actionum moralis informatio: *In hoc enim proprium officium Ethices consistit, ut moraliter in vitâ communi actiones humanas ad honestatem informet, ex immoderatis moderatas, vitiosis virtuosas, secundum prudentem rectæ rationis directionem efficiat. Hic finis innuitur verbis,* humanas actiones moraliter informans, *quæ â fine interno & officio Ethices sumuntur, quomodo in practicis disciplinis, quæ ad methodum resolutivam definiri & pertractari solent,* â fine & officio *differentias sumere sole-*

mus: Vel hic finis est externus, *& qui in usu consistit, nec semper in operantis est potestate, ut eum assequi possit. Quomodo finis Oratoris externus est, Auditorem persuadere: nautæ, salvâ nave & bonis portum destinatum attingere: verbi divini prædicati, homines salvare: & tamen sæpè auditor non persvadetur, portus non attingitur, homines non salvantur: Hic finis* ultimis definitionis verbis *exprimitur*, ad summum bonum morale per virtutes obtinendum. *Ultimus & specialis finis externus Ethices est*, summum bonum morale assequi, *Cujus gratiâ omnia in Ethicis proponuntur, aguntur & occupantur. Media ad istum finem ducentia simùl adduntur, virtutes: Præter has enim nihil datur, quo felicitas civilis comparari possit: nec in Ethicis aliud quid proponitur, quo ad summum finem pervenias, præter virtutem.*

19. *Finis iste externus spectari potest* vel *nominaliter* vel *realiter. Nominaliter* 1. quâ homonymian. *Vox boni notat* vel *bonum divinum, sic solus Deus est bonus.* Matth. 19. v. 17. vel *absolutissimè perfectum, ut etiam solus Deus est, quo significato nunquam fortassis vocem boni usurpatam inveniri ait* Socinus def. c. Puccium c. 1. p. 63. *Cum nihil præter Deum absolutè perfectum sit:* vel *bonum apparens & fallax, quomodo divitiæ avaro sunt bona, vindicta iracundo, juxta illud: Est vindicta bonum, vitâ jucundius ipsâ:* Vel *bonum verum & humanum, quod actibus humanis acquiri potest. Hoc bonum* vel *est* theoreticum, *quod est jucunda Dei & creaturarum contemplatio: Hoc in theoreticis disciplinis quærendũ, quarum objecta sunt speculabilia, & quarum finis ultimus nuda objecti scibilis contemplatio est, qui finis habitibus practicis est contradistinctus, qui cognitionem ulteriùs ad actionem ut ultimum finem determinant:* vel practicum, *quod in virtuosâ actione consistit. Hoc in habitu activo intenditur, cujus &*

obje-

objectum sui naturâ est agibile: & finis ad actionem talis objecti practici ex essentiali intentione disciplinæ dirigitur. Tale bonum hic in Ethicis intelligitur, moralis aliqua actio virtuosa generaliter & in vitâ civili quacunq́; , *non determinando ad specialem statum, Politicum, Oeconomicum, scholasticum, aut militarem, aut quemcunq́.* 2. Quà etymologiam, *quâ Logicè bonum â bonitate dicitur, ut concretum â suâ formâ abstractâ denominante: Grammaticè* vel *â* φωνεῖν, *sonare, quòd vocando ad se quasi sonet, ut* καλὸν *â* καλεῖν, *vocare, dicitur:* vel *â boando, quod quasi boet & clamet alia ad se alliciendo:* vel *â dono, per immutationem litterarum, ut bonum sit q. donum, quia â Deo omnis boni authore donatur,* vel *aliunde, de quo Becman. in orig. consulatur:* Summum *dicitur â summitate civili & morali, quâ ultimò & summè hominis appetitum in Ethicis exsatiat, ut actiones ejus ad extremum in illo acquiescant: non* transcendentali, *quale bonum est universale, & abstractum â particularibus, & in Metaphysicis tanquam attributum immediatè essentiam cujusq́ entis consequens docetur: nec* Spirituali, *quale bonum beatifica DEI fruitio est, de quâ* Scaliger ex: 307. s. 26. *videatur: nec* naturali, *quæ convenientia aliqua naturæ est, quomodo pyraustæ ignis est bonus, homini nocivus, de quâ* Idem s. 27. c. 1. *nec* eminente, *qualis solius DEI est.* 3. Quà synonymian, *qua dicitur* ἐυδαιμωνία, 1. Nicom. c. 4. *qua prudenti velut bonus dæmon est, ad divina eum elevans, ac perfectionem ultimam concilians:* μακαρισμὸς, *quòd* μάλιϛα χάιρειν *maximè gaudere faciat.* 7. Nicom. c. 11. ἐυτυχία, *quòd bona fortunæ summi boni maxima sint adjumenta & ornamenta,* V. t. 24. ἐυπραξία, *quia in virtuosâ actione consistit, eamque promptè & constanter exercere facit:* ἐυζωΐα, *quia vitam rectam & perfectam facit: optimum bonum, quia sapiens ma-*

ximè id sibi exoptat. Vnde Ouvenus l. 1. epigr. 44. Fallor, an à verbo nomen trahit optimus, opto? Optat enim sapiens optima quęque sibi. *Felicitas moralis, quia moraliter hominem felicem reddit: ultimus finis moralis, quia ultimò in moralibus hominis appetitum exsatiat.*

20. Realiter *spectari potest summum bonum* vel *absolutè* vel *respectivè*. Absolutè *in reali positione, essentiali definitione, attributis & affectionibus, consequentibus & circumstantibus, ac effectis immediatis. Causæ ejus ad doctrinam virtutis pertinent, quæ est medium morale ad finem moralem obtinendum. De eâ* d. 3. *dicetur.*

21. Quà positionem, *quod reverà detur summum aliquod bonum morale, probari id potest* 1. artificialiter, *genere ad speciem arguendo: Omnis actio rationalis suscipitur ob certum finem, non frustrà. Deus enim, natura, & ars nihil agunt frustrà.* 1. d. cœl. c. 4. t. 32. *Et ars, methodus, ac electio, bonum expetunt.* 1. Nicom. c. 1. *Sed actio moralis est actio rationalis. E. & illa ob finem suscipitur. Si ob finem, E. & ob bonum, nam finis & bonum materialiter idem sunt.* 1. d. part. an. c. 1. & l. 1. Eudem. c. 8. *etsi* ratione *differre possint.* Quomodo *summum finem vitam virtuosè institutam, sum: bonum optimam hominis conditionem quidam vocant.* Scultet. l. 1. Eth. c. 2. *Si ob bonum aliquod, E. & ob ultimum quoddam bonum, in quo ultimatè appetitus quiescat, ne in infinitum procedatur, à quo natura abhorret. Secus frustrà esset appetitus à naturâ inditus, si nullum appetibile esset, in quo* ultimò *appetitus quiescere posset.* 2. Inartificialiter, *communi Philosophantium consensu, qui summum bonum dari adeò confessi sunt, ut in quo illud consistat, mirabilibus sententiis inter se decertârint, quarum jam suo tempore* Varro *288. recensuit, ut* Piccolomin. gr. 9. c. 4. *narrat, &*

ad 4. principales redigit, c. 10. *Alij non tàm diversas sententias fuisse censent, quàm varias difficultates circa illas, quarum 12. principales fuerint.* D. Finck. p. 1. Sched. q. 74. Quà definitionem, *quæ hæc esse potest*: Summum bonum est actio animæ rationalis moralis, secundum virtutem moralem perfectissimam in vitâ civiliter perfectâ exercita. Genus *statuitur, actio animæ rationalis moralis. Vt excludatur & otium, & nudus virtutis habitus sine exercitio. Hoc genus legitimum esse probatur* 1. Quia *ab actione perfectè virtuosâ unicè homo formaliter denominatur beatus, & illâ absente homo desinit esse beatus. Ita dormientem, otiosum, inertem, non civiliter felicem dicemus, qui tamen habitu virtutis præditus esse potest. Vt benè* Aristot. 1. Nicom. c. 9. *Ergò illa actio potius essentiam summi boni perficiet, quàm habitus sine actione.* 2. Quia *omnia illa, quæ ad actionem ordinantur, summum apicem & perfectionem in actione obtinent, ad quam ordinantur, & quæ ut ultimum quid appetitum hominis exsatiat. Sed Habitus & omnis virtus ad actionem, ut ultimam suam perfectionem, ordinatur, & nisi illa accedat, pro frustraneo habetur. Quomodo nihil æstimatur habitus citharistriæ, nisi aliquando citharisatio accedat: nihil habitus gladiatoriæ, nisi aliquando gladiatio accedat. Ergò & summi boni esse potiùs in actu, quàm habitu statuendum. In* summo *enim, non* imo, *illud quærendum. Et rectè* Casus l. 1. spec. mor. c. 5. Virtutem si in habitu, non actu, si in quiete, non motu, si in sinu, non manu teneas, ut parum prodest alijs ad exemplum, ita sibi deest ad nomen beatitudinis aucupandum. 3. A simili *idem patet: Vt in Olympico certamine non robustissimus coronatur, sed qui fortiter pugnando victoriam reportat: sic in moralibus non felix est, qui perfecto habitu virtutis instructus est,*

sed qui perfectas actiones ex isto habitu depromit. Plura ap. Aristotelem c. l. *vide. Stoici in* habitu *virtutis summum bonum collocârunt. V.* Senec. l. 1. ep. 73. 74. *Et in eo velut fundamento & fulcro semper sibi simili omninò est. Sed in actu & operatione, velut formâ & perfectissimo fine, ad quem ipse habitus est ordinandus.* Virtus *est medium,* actus *præmium:* Virtus *radix & causa,* actus *fructus & finis. Et hoc intenderunt Peripatetici. Nec dissentiunt hic interdum Stoici, ut cum* Seneca ep. 93. actu metiendam vitam ait, non tempore, *& hoc à se exigendum esse,* ut agat vitam, non ut prætervehatur. Alij *in voluptate vel animi vel corporis,* alij *in ideâ summi boni, ut Platonici, quibus tamen per calumniam quædam hîc attribui censent* Goclenius disſ. Eth. 32. t. 1. 3. 4. *&* Walæus p. 48. 49. Eth. alij *in divitijs, honore, ædificijs,* alij *in alio illud quæsiverunt. De quibus varietatibus* Piccolomin. gr. 9. c. 14. 15. seq. Horneius l. 1. Eth. c. 4. 5. seq. Conimbricens. d. 3. Eth. q. 1. 2. 3. D. Meisnerus c. 1. de sum. bo. q. 8. 9. Chr. Matthias l. 1. Eth. ex. 1. Morisanus d. 3. & 4. Eth. Apolephtes p. 3. erquickst. p. 244. 245. seq. Donaldsonus l. 1. syn. Eth. c. 2. §. 6. Walæus p. 1. Ethic. p. 19. 20. *aliíq; videri possunt.* Scaligero *est perfectio actus cum rectâ ratione,* ex. 307. s. 27. Dices 1. Summum bonum *potiùs in permanente quodam locandum, quàm transeunte. Sed permanens est virtutis habitus, transiens actus. R. 1. In permanente locandum est, quà permanens opponitur* vago, *incerto, & caduco, & quod facile è subjecto evellatur. Sic actus ex habitu profectus constans quid est, non facile è subjecto in quo habitualiter fixus est, eradicandus, nec in oppositum vitium deflectendus,* V. t. 22. 23. *non quà opponitur* transeunti, *sic enim non necesse est in semper manente summum bonum locari, modò perfectissimum quid sit.* V. t. 23.

Et

Et summum bonum locandum in permanente scilic. ratione principij & fundamenti, *quale hic est virtus, quæ firmum quid: non ratione usus, qui transiens esse potest.* 2. *Etiam virtutis habitus excuti potest per morbos sonticos, ut phreneses. E. nec ille absolutè permanens. Sic nec in illo summum bonum collocandum.* 2. Si actio *genus summi boni, E. erit de prædicamento actionis. Sed tales actiones sunt imperfectæ, & tendentiæ ad suas formas & terminos: Summum autem bonum perfectissimum quid est. R. Non omnis actio est de prædicamento actionis. Non eminens, ut DEi, ut creatio, annihilatio: non excellens, qualis hæc. Est actio perfecta, in quâ ultimatè tanquam in* summo quodam morali sistitur, *non quæ ut imperfecta via ad ulteriorem formam, tanquam perfectius quid, dirigitur, quales sunt actiones prædicamentales. Est actio, qualis est summa speculatio theoretica, in quâ* ut in summo & fine *in Philosophiâ theoreticâ sistitur, non quæ ut medium ad superius, ut finem, ordinatur. De cæteris* oppositis, *quæ hic moveri solent, videbimus in discursu.* Quidam *Stoicos cum Peripateticis conciliare student, de quibus* Walæum c. I. p. 33. 34. *videas.*

22. *Dicitur 2.* actio animæ rationalis moralis. *Hæc ab efficiente & principali & secundario ac proximo sumuntur. Anima rationalis causa principalis est:* moralis *assuetudo secundaria & proxima. Dicitur* actio animæ, *ut excludantur actiones corporis, ut deorsum vergere, sursum tolli, ut aër, ventus, pluma:* animæ rationalis, *ut excludantur actus animæ* vegetantis, *ut nutrire, crescere, generare: &* sentientis, *ut audire, videre, olfacere, progredi:* & bestialis, *ut rugire, latrare, grunnire: Vnde bestijs bonum morale non competit, etsi* finis aliquis *ipsis competat, sed quem ipsæ non deliberatò & cum electione intendunt. Conf:* Senecam ep. 124. Actio mora-

moralis, *ut excludantur actiones animæ rationalis* naturales, *ut loqui, canere, speculari, intelligere, velle, meminisse: & actus usu & consuetudine acquisiti intelligantur, qui ad normam rationis rectæ directi, actiones probæ & honestæ ex habitu perfecto, esse dicantur. Vt beatitudo functio animæ intelligatur esse, quæ* non *per naturam & essentiam ipsi insit*, aut *â solâ ejus naturâ proficiscatur: sed quæ ab habitu per actus moraliter acquisito, seu virtute, proximè in subjecto felici efficiatur.* Natura habilem saltem facit, consuetudo & exercitium habituatũ. *Sicut illa temperabilẽ facit, habitus temperantem. Ex* differentiâ *dicitur* 1. secundum virtutem moralem perfectissimam exercita. Secundum virtutem, *quia virtus hic est regula actionis, non natura aut essentia*: moralem, *quia beatitudo moralis hic quæritur, non intellectualis, quæ per virtutes speculativas acquiri potest, ut sapientiam, intelligentiam, scientiam, &c. Summum bonum est actio non secundum sapientiam, scientiam, vel artem perfecta, sed secundum virtutem moralem. Nec sum: bonum hic consideramus, ut est* indifferens ad contemplativum & activum, *adeoq; ab uno ad unum, ut intendit* Piccolom: grad. 9. c. 28. *Sed ut in moralib. & ad practicum est determinatum. Contemplativum ad* Phil: theoreticam *pertinet.* Perfectissimam, *quia beatitudo est optimus & perfectissimus in vitâ humanâ effectus. E. ab optimâ & perfectissimâ causâ eum proficisci oportet, Ne causa toto genere sit deterior effectu. Vt intelligatur beatitudo actus virtutis esse* non cujusvis, ut inchoatæ vel semiplenæ, *vel semel* iterumq; exercitæ: sed plenæ, perfectæ, in gradu excellenti, *&* frequenter multumq; per tempus occupatæ. *Vnde si in aliquo subjecto actus alicujus virtutis sit in gradu remisso, alicujus in gradu intenso, beatitudo potiùs in actu virtutis excellentis, quàm remissæ, collocanda erit.*

erit. In summo n. bonum morale consistit, non imo, ut t.21. *dictum. Intelligenda tamen erit excellentia* in tantum, *in quantum humana conditio ferre potest, ne angelicam aut divinam nobis hic imaginemur: & virtus sumenda est* indefinitè, *pro hac vel illâ virtute perfectâ: Vnde actus justitiæ, temperantiæ, fortitudinis perfectissimæ est beatitudo. In actu virtutis remisso & inchoato* honestas *esse potest, summa moralis* felicitas *esse non potest.* 2. In vitâ perfectâ. *Perfectio vitæ sumenda non* absolutè, *ut omni modo sit perfecta, quomodo solius Dei vita est perfecta:* Sed comparatè, & ratione status humani, *ut ille sit competens, elegans, appetibilis, ne sordidus, miser, odiosus sit, ut status servitutis, captivitatis, perpetuæ afflictionis, inimicitiæ, &c.* Et ratione ætatis, *ut illa sit* non *præcisè senilis aut effœta, nam ita illud* Senecæ ep. 93. *valet:* Aetas inter externa est. Quamdiu sim, alienũ est: quamdiu vir bonus sim, meum est. *Conf:* & ep: 73. Sed apta *ad decorè agendum & virilis, ut ratio sit sufficiens, judiciũ acre, habitus constans, actus ex habitu promptus & excellens: Vnde pueri moraliter beati re & actu esse nequeunt, quia per ætatem actus excellentes edere non possunt,* 1. mag. mor. c. 4. Senec. ep. 124. *Sed spe & in futurum beatos eos fieri posse docet* Aristoteles 1. Nicom. c. 10. *Et juvenes per ætatem vix sunt idonei auditores Ethices, & sic nec felicitatis possessores, quia judicium & ratio nondum sufficienter sunt subacta, & affectibus multum adhuc se permittunt.* 1. Nicom. c. 1. Excipi *tamen possunt heroicæ naturæ, in quibus ætatis defectum heroica naturæ compensat indoles:* Et ratione diuturnitatis, *ut actus virtutis diu & satis continuatè exerceantur, non uno vel altero die tantùm: nec ex virtute vicissim in vitiorũ declivia homo deflectat: etsi aliàs interruptio aliqua vel per miseriam intercurrentem, vel humanas relaxationes, ut somnum & quie-*

tem, admitti possit: Et ratione instrumentorum adjuvantium, *quæ ad existentiam & splendorem summi boni multum faciunt, ut bona fortunæ, amici, familia splendida, status honoratus, fama celebris, &c.* 3. In vitâ civiliter perfectâ; *Quia felicitas civilis hic describitur, unde perfectio vitæ civilis & pro statu practico esse debet: non theoretica, quæ in speculatione rerum scibilium consistit: nec spiritualis quæ in beatificâ visione Dei semper patris consistit, quæ in Ethicis non intenduntur.*

23. Quà affectiones *summi boni, sunt illæ sequentes.* 1. Maxima perfectio, *non simpliciter, quasi bonum morale esset omnium perfectissimum, sic enim bonum infinitum, ut Deus, & spirituale, ut visio Dei beatifica, sunt perfectiora: Sed* comparatè, quà statum & vitam civilem, *in quâ nihil perfectius aut excelsius inveniri potest, quàm perfectum omnium virtutum moralium exercitium; quod tanquam perfectissimum quid civiliter ultimò & completè appetitum hominis exsatiat: Nec* separatè, *quasi virtutis actiones pro uno tempore exercitæ summum bonum perfectum facerent:* Sed copulatè, *quòd tàm præteritæ, quàm præsentes & futuræ id agant, veluti senectus in homine ex omnibus temporibus exactis colligitur, non uno vel altero anno.* 2. Sufficientia, *quà statum civilem & moralem, ut homo felix ex possessione summi boni omnia formaliter sibi necessaria agere queat, etsi aliis non necessariis carere queat.* 3. Prima expetibilitas, *quâ propter se ultimò expetitur, quia & in suo statu perfectum, & in illo ad necessaria sufficiens est. Vnde omnes beatitudinem appetunt.* U: Boëthium l. 3. prof. 2. 4. Homini addicta proprietas, *quà homini in & per se competit, quà politicum & civile animal, & honestatis in vitâ civili capax est. Vt excludantur* aliena *ab homine, cum brutis communia, & ab alienis*

non

non ab homine pendentia, ut honor, divitiæ, bona fortunæ, nobilitas generis, fama celebris, amici ingentes, & similia. 5. Firmitas, *quâ bonum summum firmum manet,* non *absolutè, ut Deus firmus manet:* nec *divisim, quomodo qualibet actio virtuosa transit, non post actum suum manet:* nec *extrinsecè, quomodo aut magis aut minus durare potest: aut modò plures, modò pauciores civiliter boni reperiuntur: aut modò fortiùs, modò leviùs felicitas subjectivè radicari potest:* Sed in essentiâ, *quà essentia ejus in extremum mutari nequit, ut fiat vitiositas vel miseria moralis, nec graduali intensione aut remissione variari potest, cum essentia cujusq; rei consistat in indivisibili.*

24. Quà circumstantia & consequentia summi boni, *forinsecùs ad istud accedunt, ejusq; statum tùm juvant, tùm illustrant, ut promptiùs & illustriùs ab homine possideatur. Nam mala corporis turbant & impediunt summum bonum, ut miseriæ, morbi, captivitates, calumniæ, cruciatus & similia, quæ naturaliter homo refugit: & licet à prudente moderatè ad tempus ferantur, præter tamen votum ejus accedunt. Quomodo sectionem pedis toleramus, quæ tamen contra votum. E. bona corporis juvant summum bonum. Ea ergò sunt* vel interna *& in ipso possidente, ut* libertas, *facultas exercendi virtuosa expeditè citra impedimentum:* Sanitas, *quæ est vigor in congruâ humorum corporis proportione & justâ membrorum dispositione consistens:* vel externa *& extra possidentem, quæ* vel res *sunt, & hæ* vel *possessionis, ut divitiæ, opes, agri, domus, pecora, &c.* vel *dignitatis, ut honor, laus, gloria, bona fama:* vel personæ, *ut amici, familia bona, illustris: ut habeat beatus, quorum virtute oblectetur, & suam in illis contempletur. Hæ ad existentiam, benè esse, & eminentiam summi boni omninò requiruntur. Et facessant*

paradoxa Stoicorum, quæ de felice habere solent, de quibus Horneium l.1. Eth. c. 8. Senecam ep. 92. *videas.* Quà effectus immediatos *summi boni, sunt illi:* 1. Conscientia bona, *actus virtuosos consequens, quæ est notitia rectè factorum de illis contestans. Hanc* partem *summi boni ait* Timpl. l.1. Eth. gen. c. 6. q. 3. *Quod nemo sine eâ felix, nec felicitas sine tranquillitate animi esse queat: & mala conscientia è contrario sit pars miseriæ humanæ. Falsò hæc. Quicquid enim non præcisè ad actum virtutis constituendum pertinet, nec ad esse summi boni ut pars pertinere potest. Consistit enim illud quà esse in actu virtutis,* t. 21. *Sed conscientia bona non ad actum virtutis constituendum pertinet, sed constitutum sequitur, ut patet. E. nec pars summi boni esse potest. Rationib:* Timpleri *facilè occurritur. Sine cibo, potu, aëre, homo esse non potest. Nec tamen illa partes hominis. Sine efficiente nullus effectus esse potest, sine parente nullus homo. Nec partes tamen, sed efficientes. Sine verbo DEI nulla ordinaria conversio est: Nec tamen verbum DEI pars conversionis humanæ, sed efficiens. Et conscientia mala non pars miseriæ Ethicæ est, sed consequens: post malè acta demum sequitur conscientia mala, non in ipsis malè actis, ut pars eorum, concurrit. E. & ita conscientia bona. Vulgò summum bonum conscientia læta dici solet, secundum illud* Ausonij in Biante: Quænam summa boni? mens, quæ sibi conscia recti est. *Sed metonymicè id intelligendum, pro aliquo, quod ad summum bonũ pertinet: sive pars ejus sit, sive adjunctum & consequens. De conscientiâ plura dicere ad alium locum pertinet.* 2. Voluptas *practica animi, quæ est* svavis oblectatio, operationem rectam non impeditam secundum naturam consequens. *Dicitur oblectatio, non præcisè operatio, quia est aliquid operationem consequens.* Aristoteli 7. Nicom: c. 13.
opera-

operatio vocatur, quod ita intelligendum, quomodo dolor & voluptas Physica sensiones dici solent, quia illarum sunt determinationes, ut dec. 2. d. 5. t. 7. *dictum. Aliàs negat Aristot: voluptatem esse motum, ut* d: 5. t. 8. *deductum. Et usitatè voluptas moralis benè acta sequitur, ut umbra corpus, & matrem filia. Sed quia blanda valdè & amica homini est, multi eam pro ipso fine & summo bono arripuerunt, ut Vulgus plerumq́ᵭ.* Valla l. 1. Dial. c. 10. Aristippus Cyrenaicus ap. Ciceronem 2. d. finib. §. 39. *Hieron: Rhodius, Metrodorus ac Epicurus* ap. eundem c. l. &. v. Tusc. qu. §. 15. *Vnde vulgò Epicurei dicuntur, qui voluptates sectantur, pro summo hominis bono. Sed de Epicuro quidam diversi sunt.* Sunt qui *ejus continentiam laudant, benèq́ᵭ de illo sentiunt, & voluptatem honestam animi intellexisse putant. Vt* Dio. Laërtius l. 10. d. vit. Phil. c. 9. L. Torquatus *apud* Ciceron. l. 1. de fin. §. 30. 57. 61. Cassius Epicureus lib. 15. ep. fam: ep. 19. Seneca de vit. beata. c. 12. 13. *Qui passim in epistolis sententias Epicuri honestas inserit, quas ap.* Horneium c. l. *videas.* Piccolomin. grad. 8. c. 10. Apolephtes p. 1. erquickst: p. 586. 587. Erasmus in colloq. in Epicureo. Aslacus in Eth. Christ. q. antepen. Jac. Gerhardi disp. 1. Eth. t. 9. *aliiq́ᵭ. Solâ aquâ & pane hordeaceo vixisse dicitur. Ad amicum aliquando scripsit, paulum casei sibi mitteret, ut ampliùs epulari liceret. Vnde temperantem fuisse colligitur.* Laert. c. l. *Lucretius Epicureus Venerem fugiendam docet.* l. 4. de nat. p. mihi 106. Alij *malè Epicurum sensisse putant, & si quæ rectè dixerit, minùs constanter dixisse.* Hornejus c. l. n. 7. 8. Martyr in l. 1. Ethic. Arist. c. 5. Cicero 2. d. finib. §. 7. 14. & l. 5. Tusc. qu. §. 26. Plutarchus l. con. Coloten. Valerius M. l. 4. c. 3. Horatius *ex Epicureâ sententiâ multa de voluptatibus corporis scribit.* lib. 1.

 od. 4.

od. 4. & 34. l. 2. ser. sat. 4. *Inprimis Dei providentiam negârunt Epicurei, & animam humanam mortalem fecerunt, ex quibus dogmatibus nihil sani in vitâ humanâ manere potest. Ita Lucretius pro animæ mortalitate adstruendâ multus est.* l. 3. p. 66. 67. *seq: Interdum nec intelligere se posse dixit* Epicurus, *ubi aut quid sit ullum bonum, præter id, quod cibo, potu, aurium oblectatione, & obscœnâ voluptate capiatur, ut* Cicero 2. d. fin. § 7. *testatur. Quod idem &* Athenæus *de ipso confirmat.* l. 7. dipnos. c. 3. &. lib. 12. c. 24. *Vnde communiter odiosum est Epicuri nomen apud omnes, & pravè de summo bono sensisse æstimatur. Quidquid sit de* versibus *in laudem ejus ab Athenæo decantatis, quos* Piccolomineus *profert,* c. l. *& apud* Athenæum *non reperio.*

25. *Ita* absolutè *summum bonum consideratur.* Respectivè *in collatione cum cognatis suis ac oppositis spectetur.* Cognata *ejus sunt omnes beatitudines spirituales, domesticæ, Politicæ, theoreticæ.* Oppositum *ejus est summum malum Ethicum, quod in actione morali secundum perfectum vitiorum habitum in vitâ sceleratissimâ exercitâ consistit. Hujus definitio, attributa, consequentia & effecta ex dictis de summo bono facilè liquere possunt.*

26. *Ita* definitio *Ethices per partes suas diducta fuit: sequuntur* causæ. *Illæ efficientes* vel *primæ esse possunt, ut DEus & natura:* vel *secundæ, ut informatio, præcepta & assuefactiones morales, ac actiones virtutis habitum tandem producentes. De illis* Chr. Matthias præ. Ethic: q. 1. *videri potest.* Materia *ejus ex quâ, ut accidentis, propriè nulla.* In quâ *subjectum est, quod* vel *ultimum, ut homo:* vel *intermedium, ut animus humanus:* vel *proximum, ut intellectus humanus, in quo prudentia est, tanquã habitus eum dirigens & perficiens: & voluntas humana, quæ actionibus moralibus ab Ethicâ præscriptis*

informãda est. Forma ejus in habitu prudẽtiæ cõsistit, de quo t. 11. dictũ. De fine ejus th. 18. 19. *actũ. Objectũ Ethices* th. 16. *satis est determinatũ.* Divisio *Ethicæ varia â variis datur.* Communiter *in doctrinam de fine seu beatitudine, & de medijs seu virtutibus dividitur, vel ut alij vocant, in eudæmonologiam & aretologiam. Et rectè. Sumitur enim â fine talis divisio, qui primum quid in practicis disciplinis est, â quo ad media tendi solet, ad obtinendum finem ducentia. Quæ duo cumprimis in omni practicâ disciplinâ sunt tradenda.* Quidam *in partem generalem dividunt, quæ de fine & medijs in genere agat: & specialem, quæ media in specie pertractet.* Alij *in exemplarem, quæ de bono agat, & georgicam animi, quæ culturam animi præscribat, dividunt.* Verulamius l. 7. d. augm. scient: c. 1. Alij *in aretologiam & praxilogiam, doctrinam de virtute & actione virtutis dividunt, ut* Timpler: l. 1. Eth. c. 2. q. 2. *Falsò. Omittitur enim in totum finis, â quo in practicis potissimùm divisio sumenda. Et falsò ab aretologiâ inchoatur, cum finis præcognoscendus in practicis sit, & ab illo ad media deveniri debeat. Non primum media præscribes, antequam finem cognitum habeas. Nihil enim in practicis distinctè cognosci potest, nisi ante cognito fine, â quo universa tractata dependent. Sed quæ ad distinctiorem rei tractationem faciunt, in ordinatâ traditione præmitti debent, ut alibi disputatur.* Aliud *est, in ipso actu præceptorum Ethicorum occupari, & finem assequi velle: ubi primum media exercere oportet, antequam finem assequaris, eumq; in subjectum introducas: Quomodo artem primò exercere oportet, antequam artis habitum consequaris:* aliud, *distinctè cognitionem disciplinæ tradere, ubi in practicis â fine ad media est procedendum. Falsò etiam posterior pars praxilogia vocatur, cum nihil de agendâ virtute doceat, sed de naturâ actionum,*

prin-

principiis, affectionibus, speciebus, ut ex l. 4. Eth. *Timpleri patet. At de agendâ virtute ibi tradendum esset, si specialiter hæc pars praxilogia dicenda esset.*

27. Affectiones *Ethicæ sunt perfectiones quædam naturam ejus consequentes. Eæ sunt,* Necessitas & utilitas *ejus in vitâ communi,* & *respectu solitarij hominis, ut se ipsum cognoscat:* & *respectu sociati, ut cum alijs honestè versetur:* & *respectu Theologiæ, Jurisprudentiæ, Oeconomicæ & Politicæ, quibus ad multas materias explicandas summè est utilis, de quô* Timpl. c.l. c.1. q.8. Alstedium syst. Eth. c.1. §. 5. 6. D. Calixtum præf. epit. Theol. Chr. Matthiam præco. Eth. q. 2. 6. *aliosq; consulas.* Realis diversitas, *partim à Theologiâ, à quâ fine, objecto, subjecto, & principijs differt, quod vide* ap. Chr. Matth. c.l. q. 3. Timpl. c.l. q. 6. *partim à disciplinis theoreticis, à quibus similiter objecto, fine & principijs differt: partim à* Jurisprudentiâ, *Politicâ & Oeconomicâ, à quibus tanquam distincta disciplina vel diversi habitus, ut à* Jurisprudentiâ, *vel ejusdem aggregati ex particularibus habitibus, ut à Philosophiâ practicâ, differt, ut c. 3. visum.* Subordinatio & consensio *ad Theologiam & Jurisprudentiam, non quasi verè ab illis diversa non sit, cum omninò disparata ab illis disciplina sit: sed quatenus nulla principia contraria tradit, sed consentanea: Vnde Ethica* Dn. Melanchtoni *explicatio legis naturæ dicitur,* epit. Ph. mor. p.3. *& ratione usus in uno tertio & subjecto convenire possunt Ethica, Theologia, &* Jurisprudentia: *cuidam etiam principia generalia suppeditat, ut Jurisprudentia.* Ordo tradendi, *qui hic, ut in disciplinâ practicâ, analyticus, ut alibi disputatur: Et quidem* ante Oeconomicam aut Politicam, *quibus generalia principia moralia suppeditat. Generalia autem debent præcedere specialia: Non tamen ante cæteras disciplinas theoreticas*

omnes

omnes, ut vult Keckerm: l. 2. præ. Philos. c. 3. *Multa enim in Ethicis à theoreticis dependent, & quæ horum cognitionem prærequirunt: Ac ob circumstantiarum varietatem Ethicalia* ingens requirunt judicium, *quod in principio disciplinarum tradendarum adesse nequit, ut ab Ethicis inchoare velis.* Modus tradendi, *qui optimus hîc, ut per præcepta selecta, monita sententiosa, & exempla illustria tradatur, non* vel *meris figmentis aut mythologiis, quomodo Poëtæ eam tradere solent, aut Mythologi, Pythagorici, Aegyptii, Hieroglyphici, Emblematici, Æsopus in fabulis suis, & similes:* vel *materiis fermè magis Theologicis, quàm Ethicis diffundatur, ut de fide, cultu DEI, spe, charitate, aliisq; virtutibus Theologicis, & explicatione totius Decalogi in illâ agatur, quomodo eam tractavit* Danæus in Eth. Christ. *non diffitente* Walæo præf. comp. Eth. Præstantia *ejus partim supra Politicam & Oeconomicam, quibus generales mores & fundamenta suppeditat: partim supra artes manuarias, cum actiones virtuosæ præstantiores sint actionibus artificiosis, melius n. est, esse fortem, temperantem, justum; quàm esse Sartorem, Fabrum, Duellatorem &c: partim suprà disciplinas Philosophicas theoreticas, quatenus in vitâ civili magis* utile & necessarium *bonum est, mores edomare, quàm scientias comparare: & oppositum Ethices, morum feritas, deterius malum est theorias opposito, ignorantiâ scibilium. Interim ratione objecti, subjecti, certitudinis, & modi tractandi, disciplinæ theoreticæ practicis, & sic etiam Ethicâ, præstantiores esse possunt. De quo* Heiderum p. 1. Ph. moral. p. 41. 42. *videre possis.* Naturalitas, *quà homini naturalis est,* non *intrinsecâ & essentiali emanatione, quomodo propria à formis resultant:* nec *actuali connascentiâ, quasi aut præcepta Ethica, aut habitus virtutum Ethicarum naturà nobis adgeneretur, cum ad mores suescere*

cogamur: Sed perfectivâ convenientiâ, *quâ ab extrinsecò tanquam norma & dirigens appetitum edomat, ejusq; perfectio est, ut* plura moribus, quàm viribus, vincere discamus. *Et ejus principia naturaliter naturæ non distortæ* quà facultatem judicij naturalis congenitam *nota sunt & congenita:* Honestè vivere, N. L. S. C. T. *ut dicere liceat: Homo* naturâ duce *amat honestum, non solâ opinione aut consuetudine.* Conf. th. 28. *Hæc & similia inter affectiones Ethicæ enarrari possunt.*

28. *Hactenus Ethica* absolutè *tractata sit in sui naturâ, causis, divisione, & affectionibus.* Respectivè *eadem videri queat partim ratione certorum* scriptorum, *per quos tradita est: partim ratione* cognatorum, disparatorum, & oppositorum *suorum.* Scriptores *Ethicæ sunt* partim *sacri, ut Salomon in Proverbiis, Syracides in libro suo, Paul⁹ & Petrus in epistolis passim, partim profani, qui* vel gentiles, *ex quib⁹ solus* Aristoteles *distinctè Ethicam est persecutus inter eos, quorū scripta ad nos pervenerunt. Quædam* Theophrastus *scripsit, ut ex characteribus ejus Ethicis â* Kirchmanno *Anno 1604. Rostochij editis patet.* Vel Christiani. *Qui vel* è Pontificijs *sunt, inter quos eminent Conimbricenses, Lessius, Valentia, Vasquius, Morisanus, Piccolomineus, Becanus, Eustachius S. Pauli, Raconis, Iavellus, aliiq;, qui vel in Aristotelis Ethica commentantur, vel in Theol. Scholasticâ multa Ethica inspergunt:* Vel Nostris, *è quibus sunt, Iac. Martini, Meisnerus, Heiderus, Hornejus, Melanchton, Golius, Gutkius, Velstenius, Scheiblerus, Bartholinus, Aslacus, Chri. Matthias, Heilandus, Evenius, Rigerus, Elerus, Zapfius, Crügerius, Paulus ab Eitzen, aliiq;:* Vel Reformatis, *è quib⁹ Mauritius Hassiæ Lantgravius, Martyr, Goclenius, Danæus, Walæus, Sculteius, Amesius, Strigelius, Plateanus, Zuingerus, Snellius, Casus,*

Do-

Donaldsonus, Keckermannus, Timplerus, Alstedius, alijq́ prostant: vel Photinianis, *in quibus Crellius in Ethicâ Christianâ primas tenebit, quando typis edita publicè prostabit, quod hactenus promissum expectavimus*. Ex Patribus Ambrosius *ad imitationem Ciceronis officiorum libros composuit, de officijs hominis Christiani. De gentilibus quæritur*, An rectè inter Christianos ferantur & proponantur? *Iniquiores quidam sunt gentilium scriptis, negantquè, veram Ethicam ex ipsis Christianum sumere posse aut debere.* Quod *morum sanctitas maximè ad finem vocationis Christianæ & voluntatis Dei pertineat*. Tit. 2. v. 11. 1. Thessal. 4. v. 3. 7. *Sed vocationem & voluntatem Dei omninò ex scripturis Christianus haurire debeat*. Quòd *sola voluntas divina fons & regula omnis sanctitatis & justitiæ sit, Et sic mores maximè â fonte suo hauriendi. Fontes a. illi nonnisi in scripturis sint aperti*. Quòd *gentiles ex cæco & distorto lumine naturæ sua præcepta derivent. Christiani a. ex limpidissimo principio sua haurire debeant, Quale quid scriptura*. Quòd *fontem primæ corruptionis & puritatis ignorârint, ut imaginem Dei & peccatum originis primi hominis*: Et *in finib: bonorum & malorum assignandis multum errârint, quos ad propriam laudem direxerint, Cum Christianus in Dei gloriam omnia agat*: Et *in ipso honesto agnoscendo variè delirârint*: *Quidam inhonesta arripuerint, ut furta insidiosa, latrocinia, scortationes, adulteria, &c. Et nihil Athenis & Hierosolymis commune esse debeat. V. in hanc partem* Danæum l. 1. c. 1. 2. Et: Chr. Amesium l. 2. med. Theol. c. 2. §. 15. 16. Talæum & Vivem ap. Keckerman. præc. Eth: §. 13. *aliosq́. De his breviter ita habe*. 1. Ethica, *ut Ethica, mores dirigere debet. Quidquid ad hoc facit, Ethicum est, & assumendum, quidquid contrarium, relinquendum. Jam mores dirigere bonum quid est, bonum a. â Deo*. Jac. 1. v.

 17. &

17. *& consequenter assumendum, â quocunque illud propenatur. Sive Christianus ille, sive gentilis.* 2. Aristoteles *Ethicam scripsit, non præcisè ut gentilis, sed* ut homo lumine naturali & notitijs naturalib. practicis post lapsum residuis instructus. *Adæquatum Ethices principium est lumen naturæ in principijs practicis residuũ, rectèq; adhuc in ruderibus quibusdam se habens, v. g. Honestè vivendum, Nemo lædendus, Cuiq; suum tribuendum: Quas notitias absit in gentili falsas, blasphemas, abominabiles dicamus, cum Apostolus ipsos ex illis arguerit* inexcusabiles. Rom. 1. v. 20. 21. *Eminens principium, defectum luminis naturalis supplens, corrigens, illustrans, scriptura esse potest.* 3. Nihil *Athenis commune cum Hierosolymis, in rebus meræ revelationis, non communis rationis & auæ ex lumine rationis, quatenus adhuc in naturalibus dictatis rectè se habet, de quo* Hornejus l. 2. Eth. c. 2. *legi potest, extrui possunt. Plura ad discursum relinquimus, Ubi & de oppositis rationibus videbimus. Videri potest* D. Meisner. d. sum. bo. prol. 2. q. 8. & in Schol. Babylon. par. 3. th. 71. Libavius præf. Log. Phil. Ram. *alijq.* *De* Nicomachicis *quæritur*, An ab ipso Aristotele *sint conscripta? Hoc fervide negat* Patritius T. 1. disc. Perip. l. 3. f. 25. l. 4. f. 47. 48. Cicero 5. d. finib. *§. 12. alijq. Verius contrarium. Aristoteles enim ipse hos libros allegat tanquam suos*, l. 2. Polit. c. 1. l. 3. c. 6. l. 4. c. 2. l. 7. c. 3. l. 1. Metaph. c. 1. Et l. 6. Nicom. c. 3. *Ethicorum mentionem facit â se conscriptorum. E. & Nicomachicorum est author. Plura de hoc vide* ap. Piccolom. introd. c. 13. D. Meisn. c. l. q. 10. *Quæri etiam solet*, quænam istorum librorum sit dispositio? *Quod* ap. eundem c. l. q. 11. *Videas.* Cognata *Ethices sunt omnia scripta sententiosa, moralia, & quid agendum, quid vitandum, monentia: ut, Proverbia, Ecclesiastes, Siracides, Seneca, Epictetus, Plutarchi quædam opuscula, Isocratis orationes, Mimi Publiani, Ciceronis officia, Drexelii opuscula, dicta sapientum, Pythagoræ, Polyanthea, Apophtegmata, & similia.* Disparata *ejus sunt, partim disciplinæ theoreticæ, partim ex practicis Politica & Oeconomica, â quibus ut distincta disciplina Phil: practicæ differt, ut* t. 3. *visum.* Opposita *ejus* vel *privativa sunt, ut ignorantia præceptorũ, & carentia actuum Ethicorum, qualis in brutis, pueris, furiosis, maniacis est: vel* contraria, *quæ inprimis* feritas *seu morum omnium bestialitas est, quâ non solùm caremus Ethicis actibus, sed mores prorsus illis contrarios assumimus, & in bestialitatem degeneramus. Hæc de* naturâ Ethices *in antecessum disputata esse sufficiat.*